② ROMAM · HOC · PROELIUM · PUGNANDI · CAUSA · PROFECTUS EST (SEE P280) ③ CAIUM · CENTENIUM PRAETOREM · PRAEMITTERE · VOLUIT · AD · SALTUM OCCUPANDUM (SEE P280). ④ MAGNAM · GLORIAM SIBI · COMPARAVIT · HOSTES · UNO · PROELIO · FUGANDO (SEE P280)

⑤ DECEMVIROS · LEGIBUS · SCRIBENDIS · CREARE MALUISSEMUS. ⑥ HOC · FECIT · UT HANNIBAL · BELLUM · COMPONERE · VELIT.

⑦ CAUSA · HOSTIUM · CIRCUMVENIENDORUM (SEE P280) CELERITER · ITER · FACERE · VOLEBAT.

EXE 30 (8) CUM · VALETUDINE · GRAVI · PREMERETUR LECTICA · FERRI · MALUIT (OR MALEBAT)

(9) IN · APULIAM · AD · CONSULIBUS · OBVIAM · VENIENDUM ITER · FECIT. (SEE P280). (10) NULLO RESISTENTE · CAUSA · URBIS · EXPUGNANDAE (SEE P280) ROMAM · PROFECTUS · EST. (11) QUINTUS FABIUS · MAXIMUS · SE · EI · OBIICERE · VOLUIT.

(12) URBIS · OPPUGNANDAE · CAUSA · ROMAM · PROFICISCI NOLEBANT (SEE P281). (13) HOC · FECIT · NE CONSUL · URBEM · RELINQUERE · VELLET (SEE P281).

(14) ROMANOS · OPPUGNANDI · CAUSA · CAPUAM · REVERSUS. EST.

(15) CONSULEM · CUM · EXERCITU · CIRCUMVENTUM · OCCIDIT.

EXE 31 (1) VEREOR · UT · CAESAR · REX · FIAT.

(2) VEREBAR · UT · CAESAR · REX · FIERET.

(3) VEREBANTUR · NE · CAESAR · FLUMEN · TRANSIRET.

(4) VERENTUR · NE · CAESAR · FLUMEN · TRANSEAT.

(5) CAESAR · VEREBATUR · REX · FIERI

(6) CAESAR · VERETUR · REX · FIERI (7) CAESAR VERETUR · FLUMEN · TRANSIRE.

(8) CAESAR VEREBATUR · FLUMEN · TRANSIRE.

(9) VIRTUTEM COLENDO · BEATI · FIEMUS (10) NON · ITA MULTIS · DIEBUS · HI · FIENT · CONSULES.

(11) HANC · POST · REM · GESTAM · CALLIDISSIMUS · DUX · FIAM

(12) CAESAR · DIXIT · EUM (ILLUM) DOLO · CONSULEM · FACTUM ESSE. (13) CAESAR · DICIT · SE · NIHIL (NON) TIMERE (VERERI) NE · CICERO CONSUL · FIAT.

EXE 31 (14) HOMINES · FIUNT · CALLIDI (OR · BONI) DUCES MILITARES · RES · EXERCENDO. (13) EX · HOC INTELLEGI · POTEST · QUANTUS · ILLE · DUX · FACTUS · SIT.

EXE 32 (1) EUM · MISERUIT (OR MISEREBAT) FILII · DUCIS QUEM · APUD · RHODANUM · FUGAVERAT.
(2) ME · OPORTET · PATRIAM · DEFENDERE · DOMUM REVOCATUM. (3) EUM · OPORTUIT (OR · OPORTEBAT) PATRIAM · DEFENDERE · DOMUM · REVOCATUM.
(4) ME · IUVAT · TANTUM · BELLUM · COMPOSUISSE (QUOD TANTUM · BELLUM · COMPOSUI). (5) EOS · IUVAT QUOD · RELIQUOS · E · FUGA · COLLEGERUNT.
(6) ROMANOS · PUDUIT (PUDEBAT) QUOD · APUD · TREBIAM · AB HANNIBALE · SUPERATI · ERANT (SEE P281).
(7) SCIO · ROMANOS · PUDUISSE · QUOD · APUD · TREBIAM · SUPERATI SINT (SEE P281). (8) SCIVIT · ROMANOS POENITUISSE · QUOD · CARTHAGINEM · DELEVISSENT. (SEE P281)
(9) TIBI · LICET · ESSE · CONSULI · ROMAE · NEQUE · EXERCITUI PRAEESSE. (10) EI · LICUISSET · ESSE REGI · CARTHAGINE · SI · VELLET. (11) EI · LIBEBAT HADRUMETI · PERMANERE (MORARI) RELIQUOS · EX · EXERCITU COLLIGENTI. (12) INTERERAT · MILITUM · IUSSIS HANNIBALIS · FIDELITER · PARERE = NOSTRA (INTEREST) HANNIBALEM IPSUM · SUPERARE. (13) OMNIUM · INTEREST FACERE · EA · QUAE · RECTA · SUNT (SEE P282)
(14) DIXIT · SIBI · LICUISSE · NOVIS · DILECTIBUS · EXERCITUM COMPARARE.

EXE 32 (15) NUMIDAS · POENITUIT · HANNIBALI · INSIDIATOS ESSE (OR QUOD · INSIDIATI · ERANT).

(16) EIS · PERSUASUM · EST · UT · HOC · FACIANT.

(17) AGRIS · A · POENIS · NOCEBITUR (OR POENI · AGRIS NOCEBUNT). (18) SI · AGRIS · A · POENIS NOCITUM · ERIT · ROMAM · LEGATOS · MITTEMUS.

(19) REGI · AB · OPTIMO · QUOQUE · PAREBITUR.

(20) MILITIBUS · IMPERATUM · EST · UT · EX · URBE · TRIBUS DIEBUS · DECEDERENT.

EXE 33 (1) LEGATI · ROMAM · VENIUNT · QUI · SENATUI POPULOQUE · ROMANO · GRATIAS · AGANT (SEE P282).

(2) LEGATI · ROMAM · VENERUNT · QUI (OR UT) SENATUI POPULOQUE · ROMANO · GRATIAS · AGANT.

(3) LEGATI · ROMAM · IERUNT · QUI (OR UT) PACEM · A · ROMANIS PETERENT. (4) LEGATI · ROMAM · IBUNT QUI (OR UT) PACEM · A · ROMANIS · PETANT.

(5) CARTHAGINIENSES · NON · II SUNT QUI PACEM · FACIANT

(6) ROMANI · NON · II ERANT · QUI · PACEM · PETERENT

(7) EGO · QUI · SERIUS · ADVENISSEM · NON · PATREM · MEUM VIDI. (8) TE · CUJUS · OPERA · HOC · BELLUM SUSCEPTUM · SIT · CUM · IMPERIO · APUD · EXERCITUM HABEBIMUS. (9) II QUI (OR CUM) REVOCATI ESSENT · DOMUM · REDIERUNT. (10) II QUI REVOCATI · SINT · DOMUM · REDIBUNT.

(11) AB · EIS · PETIERUNT · UT · CAPTIVI · FREGELLIS · ESSENT

(12) EIS · QUI · PACEM · SECUM · FECISSENT · CORONAM · AUREAM

EXE 33 DEDERUNT.

EXE 34 ① CUM · NAVES · SOLVISSET · ET · VELA · VENTIS DEDISSET · DUAE · NAVES · MISSAE · SUNT · QUAE · EUM COMPREHENDERENT. ② CUM · NAVES · SOLVERIT ET · VELA · VENTIS · DEDERIT · DUAS · NAVES · MITTEMUS · QUAE EUM · COMPREHENDANT. ③ A · SERVULO INTERFECTUS · EST · PRIUSQUAM · EPISTOLAM (LITTERAS) SCRIBERET (SEE P282) ④ SERVUS · EUM INTERFICERE · JUSSUS · EST · PRIUSQUAM · EPISTOLAM · SCRIBAT ⑤ ANTIOCHO · FUGATO · FUGIT · ILLE · PRIUSQUAM · ROMANI EUM · COMPREHENDERE · POSSENT (SEE P283) ⑥ DUM · EPISTOLAM · ROMAM · AD · MATREM · SCRIBIT · EUM SERVULUS · INTERFECIT. (SEE P283) ⑦ DUM · SUI · MULTITUDINE · ADVERSARIORUM · SUPERABANTUR HANNIBAL · EOS · QUIBUSCUM · CONFLIXERAT · FUGABAT. ⑧ DUM · CARTHAGINE · CRETAM · ITER · FACIT · EUM · LATRONES OPPUGNAVERUNT. (SEE P283). ⑨ HANNIBAL · MANSIT DONEC · RHODIORUM · CLASSIS · CONFLIXIT (SEE P283) ⑩ CONSISTERE · NOLEBAT · DONEC · CRETAM · AD · GORTYNIOS VENIRET. ⑪ DUM · HANNIBAL · CUM · ANTIOCHO ERAT · ILLE · OMNIBUS · IN · PROELIIS · SUPERIOR · ERAT. ⑫ HOC · SINE · DUBIO · ACCIDISSET · SI · ROMANIS · SUI · POTESTATEM FECISSET. ⑬ ABIRE · CONSTITUIT · PRIUSQUAM IN · MAGNUM · PERICULUM · PROPTER · AVARITIAM · CRETENSIUM VENIRET. ⑭ DUM · ANTIOCHUS · HANNIBALIS CONSILIIS · PARERE · VOLEBAT · IN · BELLO · FELIX COR SUPERIOR ERAT. ⑮ DESPERATIS · REBUS · HANNIBAL IN · SYRIAM

EXE 34 AD · ANTIOCHUM · VENIT.

EXE 35 ① TRECENTAS · SEXAGINTA · QUINQUE · AMPHORAS PLUMBO · IMPLEVERANT. ② DUCENTAE·VIGINTI NOVEM · AMPHORAE · AURO · ET · ARGENTO · IMPLETAE·ERANT. ③ PUERO · TRIA · POMA · DEDIT. ④ DIXIT · SE DUCENTAS · NAVES · HANNIBALI · DATURUM · FUISSE. ⑤ ROMA · ANNO · SEPTINGENTESIMO · QUINQUAGESIMO · TERTIO ANTE · CHRISTUM · NATUM · CONDITA · EST. ⑥ PUGNA · CANNENSIS · ANNO · DUCENTESIMO · SEXTO · DECIMO ANTE · CHRISTUM · NATUM · FACTA · EST. ⑦ HANNIBAL · SEPTUAGINTA · ANNOS · VIXIT. ⑧ CAESAR · DUCIBUS · BINAS · NAVES · DEDERAT. ⑨ EIS · DUCENOS · SESTERTIOS · DABIMUS. ⑩ DARIUS · IN · EUROPAM · AMPLIUS · MILLE · NAVIBUS · NAVIGAVIT. ⑪ TER · ROMANI · IN HOSTES IMPETUM FECERUNT; TANDEM FUGATI · SUNT. ⑫ VICIES · ANTEHAC · URBEM ROMAM VIDI ⑬ HANNIBAL EX ALPIBUS IN · ITALIAM CUM QUINQUE ET VIGINTA MILIBUS HOMINUM DESCENDIT ⑭ SEDECIM · ANNOS HANNIBALE DUCE CARTHAGINIENSES CUM ROMANIS BELLAVERUNT ⑮ ANNO DUCENTESIMO · SECUNDO ANTE CHRISTUM NATUM APUD ZAMAM POENOS DEVICERUNT ROMANI.

EXE 36 ① DIXIT EUMENEM PROPTER ROMANORUM SOCIETATEM PLUS VALERE. (SEE P 284) ② DIXIT EOS CONVENTUROS ESSE EO DIE QUO NAVALE PROELIUM

EXE 36 FACTURUS ESSET ③ DIXIT SE EOS VIDISSE QUI IN HOC NAVALI PROLIO PUGNARENT ④ DIXIT SE EOS VIDISSE QUI IN HOC NAVALI · PROELIO PUGNARENT ⑤ DIXIT SE FACTURUM UT SCIRENT IN QUA NAVE AURUM VEHERETUR.
⑥ ARBITRABATUR SI HUNC REMOVISSET OMNIA SIBI FACILIA FORE. ⑦ DIXIT SE DUCEM VIDISSE QUI TAMDIU CUM ROMANIS PUGNAVISSET
⑧ DICIT SE NUNTIUM (TABELLARIUM) VIDISSE QUI CUM CADUCEO AD EUMENEM MISSUS SIT.
⑨ DICIT EOS QUI NAVEM EUMENIS OPPUGNENT FUGARI
⑩ DICIT EOS QUI NAVEM EUMENIS OPPUGNAVERINT FUGATUM IRI ⑪ HANNIBAL NUNTIUM MITTIT PRIUSQUAM SIGNUM PROELII DARI POSSIT.
⑫ DIXIT HANNIBALEM NUNTIUM MISISSE PRIUSQUAM SIGNUM PROELII DARI POSSET
⑬ DIXIT HANNIBALEM NUNTIUM MISISSE PRIUSQUAM SIGNUM PROELII DATUM ESSET.
⑭ DIXIT HANNIBALEM TABELLARIUM MISISSE UT PALAM FACERET SUIS QUO LOCO REX ESSET
⑮ DIXIT SE OMNIBUS EIS PRAECEPISSE UT IN NAVEM EUMENIS UNAM CONCURRERENT.

EXE 37 ① NEGAVIT SE ID CONSECUTURUM ESSE NISI INTRA SUA PRAESIDIA SE RECEPISSET
② NEGAVIT SE ID CONSECUTURUM ESSE NISI INTRA PRAESIDIA SUA SE RECIPERET.

EXE 37 ③ NEGAVIT SE ID CONSECUTURUM FUISSE NISI INTRA PRAESIDIA SUA SE RECEPISSET.

④ NEGAVIT SE STULTUM FUTURUM ESSE SI ID FACERET ⑤ POLLICITUS EST SI ILLUM CEPISSENT AUT INTERFECISSENT MAGNUM EIS PRAEMIUM FORE. ⑥ AFFIRMAVIT (DIXIT) SI ILLUM CEPISSENT AUT INTERFECISSENT MAGNUM EIS PRAEMIUM FUTURUM FUISSE. ⑦ DIXIT SI ILLUM INTERFICERENT MAGNUM EIS PRAEMIUM FORE

⑧ DIXIT NISI FUGA SALUTEM PETIISSET · FUTURUM FUISSE UT INTERFICERETUR.

⑨ DIXIT EOS NISI FUGA SALUTEM PETERENT INTERFECTUM IRI. ⑩ DICIT NISI FUGA SALUTEM PETIERINT EOS INTERFECTUM IRI.

⑪ DICIT NISI FUGA SALUTEM PETIISSENT FUTURUM FUISSE UT INTERFICERENTUR.

⑫ NEGAT EOS NISI STULTI FUISSENT ILLUD FACTUROS ESSE. ⑬ ETSI HUJUS CAUSAM MIRABATUR TAMEN PROELIUM COMMITTERE NON DUBITAVIT (OR QUOMINUS PROELIUM COMMITTERET)

⑭ NEMO DUBITABAT QUIN ALIQUID DE PACE SCRIPTUM ESSET (OR QUIN ALIQUID DE PACE SCRIPTUM ATTULISSET)

⑮ NAVE HUNC IN MODUM (OR ITA) SUIS DECLARATA EODEM UNDE EGRESSUS ERAT SE RECEPIT

EXE 38 ① QUAE JACTA SUBITO RISUM PUGNANTIBUS CONCITARUNT.

EXE 38 ② ADEO NOVA RE PERTERRITI SUNT UT NON VIDERE POSSENT QUID POTISSIMUM VITARENT

③ BELLUM MALE GERERE EST MALI DUCIS

④ ETSI ANTIOCHUM MULTA STULTISSIME CONARI VIDEBANT NULLA IN RE EUM DESERUERUNT

⑤ CUM SE MINUS ROBUSTUM DOMESTICIS OPIBUS ESSE VIDERET CETEROS REGES CONCILIAVIT

⑥ BELLUM ACRITER INTER EOS TERRA MARIQUE GEREBATUR = QUO MAGIS HANNIBAL CUPIEBAT EUM OPPRIMI.

⑦ DIXIT SE FACILLIME INVENTURUM ESSE LOCUM UBI ILLE ESSET

⑧ MILITIBUS IMPERAVIT UT PROPERE AD SE·NUNTIARENT NUM UNDIQUE OBSESSUS ESSET (OR OBSIDERETUR)

⑨ PUER CELERRIME NUNTIAVIT OMNES EXITUS OCCUPATOS ESSE.

⑩ POENI SENSERUNT ID NON FORTUITO FACTUM NEQUE IMPERIUM DIUTIUS RETINENDUM.

⑪ AD TE CELERITER NUNTIABO QUID SIT.

⑫ SI NOBIS IMPERAVISSES FACILE INVENISSEMUS UBI ILLE ESSET.

⑬ VIDIT EOS NON FORTUITO VENISSE SED SE PETERE

⑭ MEMOR VIRTUTIS PRISTINAE VENENUM SUMPSIT NE VITAM ALIENO ARBITRIO DIMITTERET.

⑮ NUNTII NUNTIAVERUNT PLURES PRAETER CONSUETUDINEM ARMATOS APPARERE.

PASSAGE 1 LIFE·OF·HAMILCAR·FATHER·OF·HANNIBAL

HAMILCAR · HANNIBALIS · PATER · COGNOMINE BARCA · KARTHAGINIENSIS · PRIMO · POENICO · BELLO SED · TEMPORIBUS · EXTREMIS · ADMODUM ADULESCENTULUS · IN · SICILIA · PRAEESSE · COEPIT EXERCITUI. CUM · ANTE · EIUS · ADVENTUM ET · MARI · ET · TERRA · MALE · RES · GERERENTUR KARTHAGINIENSIUM · IPSE · UBI · ADFUIT · NUMQUAM HOSTI · CESSIT · NEQUE · LOCUM · NOCENDI DEDIT · SAEPEQUE · E · CONTRARIO · OCCASIONE DATA · LACESSIVIT · SEMPERQUE · SUPERIOR DISCESSIT. QUO · FACTO · CUM · PAENE OMNIA · IN · SICILIA · POENI · AMISISSENT · ILLE ERYCEM · SIC · DEFENDIT · UT · BELLUM · EO LOCO · GESTUM · NON · VIDERETUR. INTERIM KARTHAGINIENSES · CLASSE · APUD · INSULAS AEGATES · A · C. LUTATIO · CONSULE · ROMANORUM SUPERATI · STATUERUNT · BELLI · FACERE FINEM · EAMQUE · REM · ARBITRIO · PERMISERUNT HAMILCARIS.

PASSAGE 2 - LIFE OF HAMILCAR (CONTINUED)

ILLE ETSI FLAGRABAT BELLANDI CUPIDITATE TAMEN PACI SERVIENDUM PUTAVIT QUOD PATRIAM EXHAUSTAM SUMPTIBUS DIUTIUS CALAMITATES BELLI FERRE NON POSSE INTELLEGEBAT HOC CONSILIO PACEM CONCILIAVIT IN QUO TANTA FUIT FEROCIA CUM CATULUS NEGARET BELLUM COMPOSITURUM NISI ILLE CUM SUIS QUI ERYCEM TENUERANT ARMIS RELICTIS SICILIA DECEDERENT UT SUCCUMBENTE PATRIA IPSE PERITURUM SE POTIUS DIXERIT QUAM CUM TANTO FLAGITIO DOMUM REDIRET = NON ENIM SUAE ESSE VIRTUTIS ARMA A PATRIA ACCEPTA ADVERSUS HOSTES ADVERSARIIS TRADERE. HUIUS PERTINACIAE CESSIT CATULUS.

PASSAGE 3

AT · ILLE · UT KARTHAGINEM VENIT MULTO ALITER AC SPERARAT REM PUBLICAM SE HABENTEM COGNOVIT NAMQUE DIUTURNITATE EXTERNI MALI TANTUM EXARSIT INTESTINUM BELLUM UT NUMQUAM IN PARI PERICULO FUERIT KARTHAGO NISI CUM DELETA EST.

PRIMO MERCENARII MILITES QUIBUS ADVERSUS ROMANOS USI ERANT DESCIVERUNT = QUORUM NUMERUS ERAT VIGINTI MILIUM.

HI TOTAM ABALIENARUNT AFRICAM IPSAM KARTHAGINEM OPPUGNARUNT. QUIBUS · MALIS ADEO SUNT POENI PERTERRITI UT ETIAM AUXILIA AB ROMANIS PETIERINT EAQUE IMPETRARINT. SED EXTREMO CUM PROPE IAM AD DESPERATIONEM PERVENISSENT HAMILCAREM IMPERATOREM FECERUNT. IS NON SOLUM HOSTES A MURIS KARTHAGINIS REMOVIT CUM AMPLIUS CENTUM MILIA FACTA ESSENT ARMATORUM SED ETIAM EO COMPULIT UT LOCORUM ANGUSTIIS CLAUSI PLURES FAME QUAM FERRO INTERIRENT.

PASSAGE 4

OMNIA OPPIDA ABALIENATA IN HIS UTICAM ATQUE HIPPONEM VALENTISSIMA TOTIUS AFRICAE RESTITUIT PATRIAE. NEQUE EO FUIT·CONTENTUS SED ETIAM FINES IMPERII PROPAGAVIT TOTA AFRICA TANTUM OTIUM REDDIDIT UT NULLUM IN EA BELLUM VIDERETUR MULTIS ANNIS FUISSE. REBUS HIS EX SENTENTIA PERACTIS FIDENTI ANIMO ATQUE INFESTO ROMANIS QUO FACILIUS CAUSAM BELLANDI REPERIRET EFFECIT UT IMPERATOR CUM EXERCITU IN HISPANIAM MITTERETUR EOQUE SECUM DUXIT FILIUM HANNIBALEM ANNORUM NOVEM. ERAT PRAETEREA CUM EO ADULESCENS ILLUSTRIS FORMOSUS HASDRUBAL; DE HOC IDEO MENTIONEM FECIMUS QUOD HAMILCARE OCCISO ILLE EXERCITUI PRAEFUIT RESQUE MAGNAS GESSIT ET PRINCEPS LARGITIONE VETUSTOS PERVERTIT MORES KARTHAGINIENSIUM·EIUSDEMQUE POST MORTEM HANNIBAL AB EXERCITU ACCEPIT IMPERIUM.

PASSAGE 5

AT · HAMILCAR · POSTEAQUAM · MARE · TRANSIIT · IN HISPANIAMQUE · VENIT · MAGNAS · RES · SECUNDA · GESSIT FORTUNA = MAXIMAS · BELLICOSISSIMASQUE · GENTES SUBEGIT · EQUIS · ARMIS · VIRIS · PECUNIA · TOTAM LOCUPLETAVIT · AFRICAM. HIC · CUM · IN · ITALIAM BELLUM · INFERRE · MEDITARETUR · NONO · ANNO POSTQUAM · IN · HISPANIAM · VENERAT · IN · PROELIO PUGNANS · ADVERSUS · VETTON · OCCISUS · EST. HUIUS · PERPETUUM · ODIUM · ERGA · ROMANOS MAXIME · CONCITASSE · VIDETUR · SECUNDUM · BELLUM POENICUM. NAMQUE · HANNIBAL · FILIUS · EIUS ASSIDUIS · PATRIS · OBTESTATIONIBUS · EO · EST PERDUCTUS · UT · INTERIRE · QUAM · ROMANOS · NON EXPERIRI · MALLET.

PASSAGE 6

HANNIBAL · HAMILCARIS · FILIUS · KARTHAGINIENSIS. SI · VERUM · EST · QUOD · NEMO · DUBITAT · UT · POPULUS ROMANUS · OMNES · GENTES · VIRTUTE · SUPERARIT NON · EST · INFITIANDUM · HANNIBALEM · TANTO PRAESTITISSE · CETEROS · IMPERATORES · PRUDENTIA QUANTO · POPULUS · ROMANUS · ANTECEDAT · FORTITUDINE CUNCTAS · NATIONES. NAM · QUOTIENSCUMQUE CUM · EO · CONGRESSUS · EST · IN · ITALIA · SEMPER DISCESSIT · SUPERIOR. QUOD · NISI · DOMI · CIVIUM SUORUM · INVIDIA · DEBILITATUS · ESSET · ROMANOS VIDETUR · SUPERARE · POTUISSE. SED · MULTORUM OBTRECTATIO · DEVICIT · UNIUS · VIRTUTEM. HIC · AUTEM · VELUT · HEREDITATE · RELICTUM · ODIUM PATERNUM · ERGA · ROMANOS · SIC · CONSERVAVIT · UT PRIUS · ANIMAM · QUAM · ID · DEPOSUERIT · QUI · QUIDEM CUM · PATRIA · PULSUS · ESSET · ET · ALIENARUM · OPUM INDIGERET · NUNQUAM · DESTITERIT · ANIMO · BELLARE CUM · ROMANIS.

PASSAGE 7

HIC · IGITUR · POST · HAMILCARIS · OBITUM · HASDRUBALE IMPERATORE · SUFFECTO · EQUITATUI · OMNI · PRAEFUIT. HOC · QUOQUE · INTERFECTO · EXERCITUS · SUMMAM IMPERII · AD · EUM · DETULIT. ID · KARTHAGINEM DELATUM · PUBLICE · COMPROBATUM · EST. SIC HANNIBAL · MINOR · SEPTEM · ET · VIGINTI · ANNIS · NATUS IMPERATOR · FACTUS · PROXIMO · TRIENNIO · OMNES · GENTES HISPANIAE · BELLO · SUBEGIT = SAGUNTUM · FOEDERATAM CIVITATEM · VI · EXPUGNAVIT · TRES · EXERCITUS MAXIMOS · COMPARAVIT. EX · HIS · UNUM · IN · AFRICAM MISIT · ALTERUM · CUM · HASDRUBALE · FRATRE · IN · HISPANIA RELIQUIT · TERTIUM · IN · ITALIAM · SECUM · DUXIT. SALTUM · PYRENAEUM · TRANSIIT. QUACUMQUE ITER · FECIT · CUM · OMNIBUS · INCOLIS · CONFLIXIT = NEMINEM · NISI · VICTUM · DIMISIT. AD · ALPES POSTEAQUAM · VENIT · QUAE · ITALIAM · AB · GALLIA SEIUNGUNT · QUAS · NEMO · UMQUAM · CUM · EXERCITU ANTE · EUM · PRAETER · HERCULEM · GRAIUM TRANSIERAT (QUO · FACTO · IS · HODIE · SALTUS · GRAIUS APPELATUR) ALPICOS · CONANTES · PROHIBERE · TRANSITU CONCIDIT · LOCA · PATEFECIT · ITINERA · MUNIIT EFFECIT · UT · EA · ELEPHANTUS · ORNATUS · IRE POSSET · QUA · ANTEA · UNUS · HOMO · INERMIS · VIX POTERAT · REPERE. HAC · COPIAS · TRADUXIT · IN ITALIAM QUE · PERVENIT.

PASSAGE 8

CONFLIXERAT · APUD · RHODANUM · CUM · P. CORNELIO SCIPIONE · CONSULE · EUMQUE · PEPULERAT. CUM · HOC EODEM · CLASTIDII · APUD · PADUM · DECERNIT · SAUCIUMQUE INDE · AC · FUGATUM · DIMITTIT. TERTIO IDEM · SCIPIO · CUM · COLLEGA · TIBERIO · LONGO APUD · TREBIAM · ADVERSUS · EUM · VENIT. CUM · IIS · MANUM · CONSERUIT = UTROSQUE PROFLIGAVIT. INDE · PER · LIGURES APPENNINUM · TRANSIT · PETENS · ETRURIAM · HOC ITINERE · ADEO · GRAVI · MORBO · ADFICITUR · OCULORUM UT · POSTEA · NUMQUAM · DEXTRO · AEQUE · BENE USUS · SIT. QUA · VALETUDINE · CUM · ETIAMTUM PREMERETUR · LECTICAQUE · FERRETUR · C. FLAMINIUM CONSULEM · APUD · TRASUMENUM · CUM · EXERCITU INSIDIIS · CIRCUMVENTUM · OCCIDIT · NEQUE · MULTO POST. C. CENTENIUM · PRAETOREM · CUM · DELECTA MANU · SALTUS · OCCUPANTEM. HINC · IN · APULIAM PERVENIT. IBI · OBVIAM · EI · VENERUNT · DUO CONSULES · C. TERENTIUS · ET · L. AEMILIUS. UTRIUSQUE EXERCITUS · UNO · PROELIO · FUGAVIT · PAULUM · CONSULEM OCCIDIT · ET · ALIQUOT · PRAETEREA · CONSULARES · IN IIS CN. SERVILIUM · GEMINUM · QUI · SUPERIORE · ANNO FUERAT · CONSUL. HAC · PUGNA · PUGNATA ROMAM · PROFECTUS · EST · NULLO · RESISTENTE. IN PROPINQUIS · URBI · MONTIBUS · MORATUS · EST. CUM · ALIQUOT · IBI · DIES · CASTRA · HABUISSET · ET

PASSAGE 8 - CONTINUED

CAPUAM · REVERTERETUR. Q. FABIUS · MAXIMUS DICTATOR · ROMANUS · IN · AGRO · FALERNO · EI · SE OBIECIT.

PASSAGE 9

HIC · CLAUSUS · LOCORUM · ANGUSTIIS · NOCTU · SINE ULLO · DETRIMENTO · EXERCITUS · SE · EXPEDIVIT FABIOQUE · CALLIDISSIMO · IMPERATORI · DEDIT · VERBA. NAMQUE · OBDUCTA · NOCTE · SARMENTA · IN · CORNIBUS IUVENCORUM · DELIGATA · INCENDIT · EIUSQUE · GENERIS MULTITUDINEM · MAGNAM · DISPALATAM · IMMISIT QUO · REPENTINO · OBIECTO · VISU · TANTUM · TERROREM INIECIT · EXERCITUI · ROMANORUM · UT · EGREDI EXTRA · VALLUM · NEMO · SIT · AUSUS.

HANC · POST · REM · GESTAM · NON · ITA · MULTIS · DIEBUS M. MINUCIUM · RUFUM · MAGISTRUM · EQUITUM · PARI · AC DICTATOREM · IMPERIO · DOLO · PRODUCTUM · IN · PROELIUM FUGAVIT. TIBERIUM · SEMPRONIUM · GRACCHUM ITERUM · CONSULEM · IN · LUCANIS · ABSENS · IN · INSIDIAS INDUCTUM · SUSTULIT. M. CLAUDIUM · MARCELLUM QUINQUIES · CONSULEM · APUD · VENUSIAM · PARI · MODO INTERFECIT. LONGUM · EST · OMNIA · ENUMERARE PROELIA. QUARE · HOC · UNUM · SATIS · ERIT · DICTUM EX · QUO · INTELLIGI · POSSIT · QUANTUS · ILLE · FUERIT = QUAMDIU · IN · ITALIA · FUIT · NEMO · EI · IN · ACIE RESTITIT · NEMO · ADVERSUS · EUM · POST · CANNENSEM PUGNAM · IN · CAMPO · CASTRA · POSUIT.

PASSAGE 10

HINC · INVICTUS · PATRIAM · DEFENSUM · REVOCATUS BELLUM · GESSIT · ADVERSUS · P. SCIPIONEM · FILIUM · EIUS SCIPIONIS · QUEM · IPSE · PRIMO · APUD · RHODANUM · ITERUM APUD · PADUM · TERTIO · APUD · TREBIAM · FUGAVERAT. CUM · HOC · EXHAUSTIS · IAM · PATRIAE · FACULTATIBUS CUPIVIT · IN · PRAESENS · BELLUM · COMPONERE · QUO VALENTIOR · POSTEA · CONGREDERETUR. IN COLLOQIUM · CONVENIT = CONDICIONES · NON CONVENERUNT. POST · ID · FACTUM · PAUCIS DIEBUS · APUD · ZAMAM · CUM · EODEM · CONFLIXIT = PULSUS (INCREDIBILE · DICTU) BIDUO · ET · DUABUS · NOCTIBUS HADRUMETUM · PERVENIT · QUOD · ABEST · ZAMA · CIRCITER MILIA · PASSUUM · TRECENTA. IN · HAC · FUGA NUMIDAE · QUI · SIMUL · CUM · EO · EX · ACIE · EXCESSERANT INSIDIATI · SUNT · EI = QUOS · NON · SOLUM · EFFUGIT SED · ETIAM · IPSOS · OPPRESSIT. HADRUMETI RELIQUOS · E · FUGA · COLLEGIT = NOVIS · DILECTIBUS PAUCIS · DIEBUS · MULTOS · CONTRAXIT. CUM · IN APPARANDO · ACERRIME · ESSET · OCCUPATUS KARTHAGINIENSES · BELLUM · CUM · ROMANIS COMPOSUERUNT. ILLE · TAMEN · EXERCITUI · POSTEA PRAEFUIT · RESQUE · IN · AFRICA · GESSIT · USQUE AD P. SULPICIUM C. AURELIUM · CONSULES.

PASSAGE II

HIS · ENIM · MAGISTRATIBUS · LEGATI · KARTH
KARTHAGINIENSES · ROMAM · VENERUNT · QUI · SENATUI
POPULOQUE · ROMANO · GRATIAS · AGERENT · QUOD · CUM
IIS · PACEM · FECISSENT · OB · EAMQUE · REM · CORONA
AUREA · EOS · DONARENT · SIMULQUE · PETERENT · UT
OBSIDES · EORUM · FREGELLIS · ESSENT · CAPTIVIQUE
REDDERENTUR. HIS · EX · SENATUS · CONSULTO
RESPONSUM · EST = MUNUS · EORUM · GRATUM
ACCEPTUMQUE · ESSE; OBSIDES · QUO · LOCO · ROGARENT
FUTUROS · CAPTIVOS · NON · REMISSUROS · QUOD
HANNIBALEM · CUIUS · OPERA · SUSCEPTUM · BELLUM · FORET
INIMICISSIMUM · NOMINI · ROMANO · ETIAM · NUNC · CUM
IMPERIO · APUD · EXERCITUM · HABERENT · ITEMQUE
FRATREM · EIUS · MAGONEM. HOC · RESPONSO
KARTHAGINIENSES · COGNITO · HANNIBALEM · DOMUM · ET
MAGONEM · REVOCARUNT. HUC · UT · REDIIT · REX
FACTUS · EST · POSTQUAM · PRAETOR · FUERAT · ANNO
SECUNDO · ET · VICESIMO = UT · ENIM · ROMAE · CONSULES
SIC · KARTHAGINE · QUOTANNIS · ANNUI · BINI · REGES
CREABANTUR. IN · EO · MAGISTRATU · PARI · DILIGENTIA
SE · HANNIBAL · PRAEBUIT · AC · FUERAT · IN · BELLO.

PASSAGE 12

NAMQUE · EFFECIT · EX · NOVIS · VECTIGALIBUS · NON SOLUM · UT · ESSET · PECUNIA · QUAE · ROMANIS EX FOEDERE · PENDERETUR · SED · ETIAM · SUPERESSET QUAE · IN · AERARIO · REPONERETUR. DEINDE ANNO · POST · M. CLAUDIO L. FURIO CONSULIBUS · ROMA LEGATI · KARTHAGINEM · VENERUNT. HOS · HANNIBAL RATUS · SUI · EXPOSCENDI · GRATIA · MISSOS · PRIUSQUAM IIS · SENATUS · DARETUR · NAVEM · ASCENDIT · CLAM ATQUE · IN · SYRIAM · AD · ANTIOCHUM · PROFUGIT. HAC · RE · PALAM · FACTA · POENI · NAVES · DUAS · QUAE EUM · COMPREHENDERENT · SI · POSSENT · CONSEQUI MISERUNT = BONA · EIUS · PUBLICARUNT · DOMUM A FUNDAMENTIS · DISIECERUNT · IPSUM · EXULEM IUDICARUNT. AT · HANNIBAL · ANNO · TERTIO POSTQUAM · DOMO · PROFUGERAT L. CORNELIO. Q. MINUCIO CONSULIBUS · CUM · QUINQUE · NAVIBUS · AFRICAM ACCESSIT · IN · FINIBUS · CYRENAEORUM · SI · FORTE KARTHAGINIENSES · AD · BELLUM · ANTIOCHI · REGIS · SPE FIDUCIAQUE · INDUCERENTUR · CUI · IAM · PERSUASERAT UT · CUM · EXERCITIBUS · IN · ITALIAM · PROFICISCERETUR HUC · MAGONEM · FRATREM · EXCIVIT. ID · UBI POENI · RESCIVERUNT · MAGONEM · EADEM · QUA FRATREM · ABSENTEM · ADFECERUNT · POENA.

PASSAGE 13

ILLI . DESPERATIS . REBUS . CUM . SOLVISSENT NAVES . AC . VELA . VENTIS . DEDISSENT . HANNIBAL . AD ANTIOCHUM . PERVENIT. DE . MAGONIS . INTERITU DUPLEX . MEMORIA . PRODITA EST = NAMQUE . ALII NAUFRAGIO . ALII A SERVULIS . IPSIUS . INTERFECTUM EUM SCRIPTUM RELIQUERUNT. ANTIOCHUS AUTEM SI TAM IN GERENDO BELLO CONSILIIS EIUS PARERE VOLUISSET QUAM IN SUSCIPIENDO INSTITUERAT PROPIUS TIBERI QUAM . THERMOPYLIS DE SUMMA IMPERII DIMICASSET QUEM . ETSI MULTA STULTE CONARI VIDEBAT TAMEN NULLA DESERUIT IN RE. PRAEFUIT . PAUCIS NAVIBUS QUAS EX SYRIA IUSSUS ERAT IN ASIAM DUCERE IISQUE ADVERSUS RHODIORUM . CLASSEM IN PAMPHYLIO MARI CONFLIXIT. QUO CUM MULTITUDINE . ADVERSARIORUM . SUI SUPERARENTUR IPSE QUO CORNU REM GESSIT FUIT SUPERIOR ANTIOCHO FUGATO VERITUS NE DEDERETUR QUOD SINE DUBIO ACCIDISSET SI SUI FECISSET . POTESTATEM CRETAM AD GORTYNIOS VENIT UT UBI QUO SE CONFERRET CONSIDERARET. VIDIT AUTEM VIR OMNIUM CALLIDISSIMUS IN MAGNO SE FORE PERICULO NISI QUID PROVIDISSET PROPTER AVARITIAM CRETENSIUM = MAGNAM ENIM SECUM PECUNIAM PORTABAT DE QUA SCIEBAT EXISSE FAMAM. ITAQUE CAPIT TALE CONSILIUM.

PASSAGE 14

AMPHORAS COMPLURES COMPLET PLUMBO SUMMAS OPERIT AURO ET ARGENTO. HAS PRAESENTIBUS PRINCIPIBUS DEPONIT IN TEMPLO DIANAE SIMULANS SE SUAS FORTUNAS ILLORUM FIDEI CREDERE. HIS IN ERROREM INDUCTIS STATUAS AËNEAS QUAS SECUM PORTABAT OMNI SUA PECUNIA COMPLET EASQUE IN PROPATULO DOMI ABJICIT.

GORTYNII TEMPLUM MAGNA CURA CUSTODIUNT NON TAM A CETERIS QUAM AB HANNIBALE NE ILLE INSCIENTIBUS IIS TOLLERET SECUMQUE DUCERET. SIC CONSERVATIS SUIS REBUS POENUS ILLUSIS CRETENSIBUS OMNIBUS AD PRUSIAM IN PONTUM PERVENIT. APUD · QUEM EODEM ANIMO FUIT ERGA ITALIAM NEQUE ALIUD QUIDQUAM EGIT QUAM REGEM ARMAVIT ET EXERCUIT ADVERSUS ROMANOS.

QUEM CUM VIDERET DOMESTICIS OPIBUS MINUS ESSE ROBUSTUM CONCILIABAT CETEROS REGES ADIUNGEBAT BELLICOSAS NATIONES.

DISSIDEBAT AB EO PERGAMENUS REX EUMENES ROMANIS AMICISSIMUS BELLUMQUE INTER EOS GEREBATUR ET MARI ET TERRA = QUO MAGIS CUPIEBAT EUM HANNIBAL OPPRIMI.

PASSAGE 15

SED UTROBIQUE EUMENES PLUS VALEBAT PROPTER ROMANORUM SOCIETATEM; QUEM SI REMOVISSET FACILIORA SIBI CETERA FORE ARBITRABATUR. AD HUNC INTERFICIENDUM TALEM INIIT RATIONEM. CLASSE PAUCIS DIEBUS ERANT DECRETURI. SUPERABATUR NAVIUM MULTITUDINE = DOLO ERAT PUGNANDUM CUM PAR NON ESSET ARMIS. JUSSIT QUAM PLURIMAS VENENATAS SERPENTES VIVAS COLLIGI EASQUE IN VASA FICTILIA CONJICI. HARUM CUM EFFECISSET MAGNAM MULTITUDINEM DIE IPSO QUO FACTURUS ERAT NAVALE PROELIUM CLASSIARIOS CONVOCAT IISQUE PRAECIPIT OMNES UT IN UNAM EUMENIS REGIS CONCURRANT NAVEM A CETERIS TANTUM SATIS HABEANT SE DEFENDERE. ID ILLOS FACILE SERPENTIUM MULTITUDINE·CONSECUTUROS REX AUTEM IN QUA NAVE VEHERETUR UT SCIRENT SE FACTURUM = QUEM SI AUT CEPISSENT AUT INTERFECISSENT MAGNO IIS POLLICETUR PRAEMIO FORE. TALI COHORTATIONE MILITUM FACTA CLASSIS AB UTRISQUE IN PROELIUM DEDUCITUR. QUARUM ACIE CONSTITUTA PRIUSQUAM SIGNUM PUGNAE DARETUR HANNIBAL UT PALAM FACERET SUIS QUO LOCO EUMENES ESSET TABELLARIUM IN SCAPHA CUM CADUCEO MITTIT.

PASSAGE 16

QUI UBI AD NAVES ADVERSARIORUM PERVENIT EPISTOLAMQUE OSTENDENS SE REGEM PROFESSUS EST QUAERERE STATIM AD EUMENEM DEDUCTUS EST. QUOD NEMO DUBITABAT QUIN ALIQUID DE PACE ESSET SCRIPTUM. TABELLARIUS DUCIS NAVE DECLARATA SUIS EODEM UNDE ERAT EGRESSUS SE RECEPIT. AT EUMENES SOLUTA EPISTOLA NIHIL IN EA REPPERIT NISI QUAE AD IRRIDENDUM EUM PERTINERENT CUIUS ETSI CAUSAM MIRABATUR NEQUE REPERIEBAT TAMEN PROELIUM STATIM COMMITTERE NON DUBITAVIT. HORUM IN CONCURSU BITHYNII HANNIBALIS PRAECEPTO UNIVERSI NAVEM EUMENIS ADORIUNTUR. QUORUM VIM REX CUM SUSTINERE NON POSSET FUGA SALUTEM PETIT = QUAM CONSECUTUS NON ESSET NISI INTRA SUA PRAESIDIA SE RECEPISSET QUAE IN PROXIMO LITORE ERANT COLLOCATA. RELIQUAE PERGAMENAE NAVES CUM ADVERSARIOS PREMERENT ACRIUS REPENTE IN EAS VASA FICTILIA DE QUIBUS SUPRA MENTIONEM FECIMUS CONJICI COEPTA SUNT.

PASSAGE 17

QUAE IACTA INITIO RISUM PUGNANTIBUS CONCITARUNT NEQUE QUARE ID FIERET POTERAT INTELLEGI. POSTQUAM AUTEM NAVES SUAS OPPLETAS CONSPEXERUNT SERPENTIBUS NOVA RE PERTERRITI CUM QUID POTISSIMUM VITARENT NON VIDERENT PUPPES VERTERUNT SEQUE AD SUA CASTRA NAUTICA RETTULERUNT. SIC HANNIBAL CONSILIO ARMA PERGAMENORUM SUPERAVIT NEQUE TUM SOLUM SED SAEPE ALIAS PEDESTRIBUS COPIIS PARI PRUDENTIA PEPULIT ADVERSARIOS. QUAE DUM IN ASIA GERUNTUR ACCIDIT CASU UT LEGATI PRUSIAE ROMAE APUD T. QUINTIUM FLAMININUM CONSULAREM CENARENT ATQUE IBI DE HANNIBALE MENTIONE FACTA EX IIS UNUS DICERET EUM IN PRUSIAE REGNO ESSE. ID POSTERO DIE FLAMININUS SENATUI DETULIT. PATRES CONSCRIPTI QUI HANNIBALE VIVO NUMQUAM SE SINE INSIDIIS FUTUROS EXISTIMARENT LEGATOS IN BITHYNIAM MISERUNT IN IIS FLAMININUM QUI AB REGE PETERENT NE INIMICISSIMUM SUUM SECUM HABERET SIBIQUE DEDERET. HIS PRUSIA NEGARE AUSUS NON EST= ILLUD RECUSAVIT NE ID A SE FIERI POSTULARENT QUOD ADVERSUS IUS HOSPITII ESSET = IPSI SI POSSENT COMPREHENDERENT = LOCUM UBI ESSET FACILE INVENTUROS.

PASSAGE 18

HANNIBAL ENIM UNO LOCO SE TENEBAT IN CASTELLO QUOD EI A REGE DATUM ERAT MUNERI IDQUE SIC AEDIFICARAT UT IN OMNIBUS PARTIBUS AEDIFICII EXITUS HABERET SCILICET VERITUS NE USU VENIRET QUOD ACCIDIT. HUC CUM LEGATI ROMANORUM VENISSENT AC MULTITUDINE DOMUM EIUS CIRCUMSEDISSENT PUER AB IANUA PROSPICIENS HANNIBALI DIXIT PLURES PRAETER CONSUETUDINEM ARMATOS APPARERE. QUI IMPERAVIT EI UT OMNES FORES AEDIFICII CIRCUMIRET AC PROPERE SIBI NUNTIARET NUM EODEM MODO UNDIQUE OBSIDERETUR. PUER CUM CELERITER QUID ESSET RENUNTIASSET OMNESQUE EXITUS OCCUPATOS OSTENDISSET SENSIT ID NON FORTUITO FACTUM SED SE PETI NEQUE SIBI DIUTIUS VITAM ESSE RETINENDAM. QUAM NE ALIENO ARBITRIO DIMITTERET MEMOR PRISTINARUM VIRTUTUM VENENUM QUOD SEMPER SECUM HABERE CONSUERAT SUMPSIT. SIC VIR FORTISSIMUS MULTIS VARIISQUE PERFUNCTUS LABORIBUS ANNO ACQUIEVIT SEPTUAGESIMO.

PASSAGE 19

EX HIS OMNIBUS LONGE SUNT HUMANISSIMI QUI CANTIUM INCOLUNT QUAE REGIO EST MARITIMA OMNIS NEQUE MULTUM A GALLICA DIFFERENT CONSUETUDINE. INTERIORES PLERIQUE FRUMENTA NON SERUNT SED LACTE ET CARNE VIVUNT PELLIBUSQUE SUNT VESTITI. OMNES VERO SE BRITANNI VITRO INFICIUNT QUOD CAERULEUM EFFICIT COLOREM ATQUE HOC HORRIBILIORES SUNT IN PUGNA ASPECTU; CAPILLOQUE SUNT PROMISSO ATQUE OMNI PARTE CORPORIS RASA PRAETER CAPUT ET LABRUM SUPERIUS. UXORES HABENT DENI DUODENIQUE INTER SE COMMUNES ET MAXIME FRATRES CUM FRATRIBUS PARENTESQUE CUM LIBERIS; SED QUI SUNT EX IIS NATI EORUM HABENTUR LIBERI QUO PRIMUM VIRGO QUAEQUE DEDUCTA EST.

PASSAGE 20

CIBI NAM NE HAEC QUIDEM OMISERIM MINIMI ERAT ATQUE VULGARIS FERE. PANEM ET PISCICULOS MINUTOS ET CASEUM MANU PRESSUM ET FICOS VIRIDES MAXIME APPETEBAT = VESCEBATURQUE ET ANTE CENAM QUOCUMQUE TEMPORE ET LOCO QUO STOMACHUS DESIDERASSET. VERBA IPSIUS EX PISTULIS SUNT = "NOS IN ESSEDO PALMULAS GUSTAVIMUS." ET ITERUM = "DUM LECTICA EX REGIA DOMUM REDEO PANIS UNCIAM CUM PAUCIS ACINIS UVAE DURACINAE COMEDI." ET RURSUS = "NE IUDAEUS QUIDEM MI TIBERI TAM DILIGENTER SABBATIS IEIUNIUM SERVAT QUAM EGO HODIE SERVAVI QUI IN BALNEO DEMUM POST HORAM PRIMAM NOCTIS DUAS BUCCAS COMEDI PRIUSQUAM UNGUI INCIPEREM." EX HAC INOBSERVANTIA NONNUMQUAM VEL ANTE INITUM VEL POST DIMISSUM CONVIVIUM SOLUS CENITABAT CUM PLENO CONVIVIO NIHIL TANGERET.